



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

9. In energumenis pœna diuina consideranda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

eos peccatores tyranni huius libidini permittentis. Non millesimus, nec millies millesimus patitur, quod omnes peccatores merentur. Qui autem patiuntur, quod meruerunt, sciant illud S. Augustini dictum: *Dæmones, nisi quos fallendo, decepturunt, possidere non possunt*: iure per peccatum acquisito scilicet. Nam Dei potestate accepta, potest, ob alios quoque bonos fines, etiam sœuire in innocentes, vt infra docebo. Interim & nocentes diuinus iudex, vt iustè, ita & vtiliter plectit.

Si aliquos permittit palam ita vexari, eosq; monstrosos fieri, ceteris mortalibus monstrat, quid vitare debeant, ne & illi in huiusmodi monstra abeant. Sententia D. Hieronymi & D. Epiphaniï est, Assyriorum regem Nabuchodonosor, præterquam quod ita monstrosus effectus sit, quemadmodum eum nos suprâ descripsimus, etiam aded monstrosum fuisse, quod à dæmonibus obsessus esset. Quæ opinio inde suam accipit probabilitatē, quia certè plurima obsessi in eo fuerunt argumenta. Quod si ita est, reuocemus in memoriã flagitia illius, & fatebimur eum totas legiones diabolorum commernisse. Saul quoq; rex à multis grauissimisq; authoribus existimatur à cæcodæmone infessus & exagitatus. At quis eum innocentem passum existimauit, qui tam inuidus, tam superbus, tam Deo & Prophetæ inobediens, & tantus Davidis persecutor fuit? Quas ob causas dicitur: *Spiritus autem Domini recessit à Saul, & exagitabat eum Spiritus nequam, à Domino*. Recedente ergo spiritu Domini, animaq; virtutibus euacuata, succedit spiritus nequam; sicut in domum ab hominibus desertam, immigrant vlulæ, & vespertiliones, & striges. Huic nocturnæ & malè ominatæ aui nidus vitij paratur & ornatur; & ibi vbi vsq; ad puluisculum, vt aiunt, virtutes sunt eliminatæ, libenter habitat spiritus immundus, cui locus immunditijs mundatur, & spurcitijs ornatur. Hunc ergo hospitem inuitat, qui animam suam ad hunc modum ornat; iuxta illud: *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quarens requiem: & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cum venerit, inuenit eam scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, &*

S. Augustin.  
de ciu. lib. 4.  
cap. 34.

IX.

S. Hieron. in  
Dan. S. Epi-  
phan. in vita  
Danielis.

1. Reg. 16. 14.

Luc. 11. 24.

0000 2

ingress



Cassian. col-  
lat. 7. c. 24. ingressi habitant ibi. Hoc ipsum declarat Cassianus his verbis,  
Constat, immundos spiritus, (ordinariè) non aliter posse in illos,  
quorum corpora obtenturi sunt, penetrare; nisi prius eorum mentes  
cogitationesq; possederint. Quos cum timore ac memoria Dei, vel  
spirituali meditatione nudauerint, velut exarmatos omni praesidio,  
ac munitione diuina nudatos, facile vincendos audenter inuadunt:  
domiciliũ deinceps in ijs, velut in possessione sibi tradita praesumentes.

X.

Metaphrast.  
1. Febr.

Potest hoc innumeris exemplis illustrari, atque in primis  
eo, quod in vita S. Tryphonis legimus. Adducta erat, ad hunc  
sanctum Gordiani Imperatoris filia, à malo dæmone infessa.  
Eum dæmonem adiurans Tryphon interrogauit, cur ausus  
esset in puellam hanc intrare? Coactus igitur pater men-  
dacij dicere veritatem, respondit: *Dæmones in illos habere pote-  
statem, qui opera ijsdem grata exercent: qualia sunt, cultus simu-  
lacrorum, blasphemia, adulteria, veneficia, inuidie, caedes &c.*

Sigebertus  
circa An. 697.

Verum hoc esse, docet historia S. Kiliani à nobis alibi recita-  
ta. Summa est. Persuaserat Kilianus Franconia Duci, vt Gei-  
lanam fratris eius coniugem dimitteret, ne alter Herodes fie-  
ret. Id mœchæ fuit peracerbum. In vltionem igitur Kilianũ  
interfici iussit. Sed & Geilana experta est diuinam Nemesci,  
à dæmone enim correpta truculentas pœnas dedit. Scribit in  
Arnolphi vita Lisardus, D. Arnolphũ cum pacem etiam atq;  
etiam suaderet, à Folcardo homine potente præ sanè arrogan-  
ter contemptũ fuisse: ob quem factum spiritus superbiæ in eum  
accepit potestatem, illumq; possidens miserandum in modũ  
lacerauit. Gundericus Wandalorum rex templum statuerat  
compilare; in ipso adhuc limine erat, cum eum vindex Geni-  
us malus antevertit, & prius in illum, quàm ille in templum  
intranit. Nihil hoc noui. Iam olim *Deus misit in impios iram  
indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, im-  
missiones per angelos malos.* Cur non per angelos malos? qui  
contra Pharaonem aliosq; peccatores ipsas bestias armauit?  
Sunt angeli isti bestijs etiam sæuiores.

Lisard. in vi-  
ta S. Arnol-  
phi cap. 41.

Plal 77. 49.

XI.

Sed bestia ista catenis vincitæ, custodijq; clausæ tenen-  
tur; irumpere non possunt, nisi in eos, quibus vel culpa talè  
S. August. l. 4. pœnam parat, vel Dei prouidentia. Quo sensu S. Augustinus  
ait: